

CAPUT QUINTUM

Parricidij pœnam, à Solone & Romulo prudenter omiffam; non minus prudenter postea, hominibus in hoc scelere superbi-
 tibus, constitutam. Leges pro temporum varietate mutari
 oportere. Parricidium quis primus Roma patrauerit? Livij
 in hac re, & Plutarchi dissensio. Tullia, Servij Tullij Ro-
 manorum Regis filia, parricidium, & tempore, & immani-
 tate primum videri.

ICET propter eam, quam superiori capite scrip-
 simus causam, Romani parricidij crimen pro-
 prio nomine, & peculiari supplicio, olim desti-
 tutum reliquerint: postea tamen cum homines
 ab aureæ illius ætatis probitate desciscentes, in omnia sce-
 lerum portenta declinarent, & vt scitè Ovidius (1) expres-
 sit, vitæ pietate, & Astrea terris expulsa, vir coniugis, & illa
 mariti exitio imminere, & filij antè diem in paternos annos
 inquirere coepissent: atque ita intelligerent prudentissimi
 quique rerum publicarum gubernatores, nihil esse tam san-
 ctum, quod aliquando, vt Cicer. (2) scribit, non violaret au-
 dacia, sceleris huius (proh dolor!) singulare, exemplarèque
 supplicium necessarium esse, eius frequentia moniti cogno-
 verunt, & sapienter à Solone, & Romulo prætermiffum; non
 minus sapienter pro temporum vicissitudine fore consti-
 tuendum. Nam & si Symmachus (3) dicat: *Leges in commu-
 ne bonum procedentes, nunquam occasum pati*, verius tamen
 est, consensescere eas, languere interdum, & mori, vt ex op-
 timis autoribus docet Franc. Iuretus, (4) & secundùm va-
 rietatem temporum, vt Pontifex Innocen. (5) admonuit,
 humana quandòque statuta absque reprehensione variari.
 Sic enim Claudianus. (6)

Priscamque resumunt
 Caniciem leges, emendanturque vetusta,
 Acceduntque nova

Et apud Livium, (7) Lucius Valerius de lege Oppia abro-

(8) Lex C. de
 dil. mulloga luy
 .1.2.02

(1) Ovid. i. metam.

(2) Cic. d. orat. pro
 Rosc.

(3) Symma. lib. 10.
 Epist.

(4) Franc. Iuretus
 in not. ad Symm. lib.
 2. Epist.

(5) Innoc. in c. non
 debet, de confang.
 & aff.

(6) Claudian.

(7) Livius lib. 34

ganda agens: *Quemadmodum, inquit, ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetua utilitatis causa, in æternum lata sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. in utilem fecit: sic, quas tempora aliqua desiderarunt, leges mortales, ut ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video.* Unde Prothei modo ipsis quoque occasionibus leges variabiles esse oportere, Sextus Cæcilius (8) Iurisperitus non inficiatur: quin pro temporum moribus, vitiorumque, quibus medendum est fervore, & frequentia mutandas, aut etiam denuò ferendas esse confitetur. Quod, ut alia exempla deficerent, ipso hoc de quo noster est sermo, parricidij crimine, apertissimum redditur, cui perniciosissimo Reipub. damno, contra Solonis & Romuli opinionem nascenti, & in dies magis ac magis pullulanti, obviam eundum fuit, & tam pestilenti morbo congruo remedio subveniendum; quæ omnia non sensisse modo, verum eleganter etiam expressisse Paulus Orosius, (9) non dilutæ auctoritatis scriptor, videtur, sic inquit: *Igitur talem Marij triumphum, Romanamque victoriam, incredibile facinus, & nunquam antea Romanis cognitum, Roma subito perpetratum, versa in horrorem, ac mærorem tota vrbe, suscitavit. Publicius quidam Malleolus, servis annitentibus, matrem suam interfecit. Damnatus parricidij, insutusque in culleum, & in mare proiectus est: impleveruntque Romani facinus & pœnam, unde Solon Atheniensis decernere non ausus fuerat, dum fieri posse non credidit: & Romani, qui se ortos à Romulo scirent, etiam hoc fieri posse intelligentes, supplicium singulare sanxerunt.* Eò itaque hominum audacia procedente, ut neque hoc scelus intentatum relinquerent, necessitas quodammodo pœnam extorsit. Nam præter Publicium Malleolum, quem primum huius criminis autorem Orosius in supradicto loco Livium (10) sequutus commemorat, anno, ut Ioannes Coras. & Didacus Covarr. (11) existimant, ab vrbe condita D C. Lucius deinde Hostius, ut Alexand. ab Alex. & Cælius Rodiginus (12) referunt, parricidij insimulatus, pari ac Malleolus supplicio necatus, & cruciatus, pœnas rependit. Nisi magis Plutarcho (13) assentiri velimus, qui

hunc

(8) *Sext. Cæcil. apud Agellium lib. 20, c. 1.*

(9) *Paulus Oros. li. 5. hist. c. 16. in fine.*

(10) *Livius lib. 48.*

(11) *Corras. l. 1. mis. cap. 5.*

Covarr. in clem. si furiosus in init. 2. part. num. 12.

(12) *Alex. libr. 3. gen. ca. 5. Cælius li. 11. cap. 17.*

(13) *Plu. in Romul.*

hunc Lucium Hostium primum fuisse, qui parricidium commiserit, his verbis testatur: *Ac multa secula visus est rectè eiusmodi iniuriam futuram desperasse: nemo enim sexcentis post annis Romæ tale facinus perpetravit. sed post Hannibalis bellum Lucius Hostius fertur primus patrem occidisse. Quamvis ego primam hæud dubiè huius sceleris ream, & quæ crudelitate cæteros qui usquam fuerint parricidas superasse videtur, Tulliam, Servij Tulli Romanorum Regis filiam, fuisse censerem: quæ ut Livius, Valerius, (14) & alij tradiderunt, cum improba regni cupiditate commota, patrem à Tarquino superbo, cui nupta erat, interficiendum curasset, postquam iam immane illud parricidium commiserat, prætervehens ipsa carpento, infestis furijs agitata, supra patris defuncti corpus vulneribus, & plagis affecti, vehiculum duci iubere non dubitavit. Ob cuius inhumanum scelus, & rei foeditatem, non solum se æterna infamia: sed locum etiam ipsum cognomine sceleris commaculavit, & brevi, patris manibus ab impia filia pœnas exigentibus, exulare coacta, regnum malè partum amisit. Vnde Valerius Maximus, (15) hoc crudelitatis exemplum, *Tempore vetustissimum, conscientia nefarium, voce improbum, ac monstri simile* appellat, & Seneca (16) infandum his verbis.*

— Dedit infandi

*Sceleris pœnas cum Tarquino
Tullia coniux; qua per casti
Membra parentis saxos egit
Impia currus: laceròque seni
Violenta rogos nata negavit.*

Sed & subscribam verba Nasonis, (17) qui postquam Tulliam, maritum in necem patris suadentem inducit, non minus appositè atrocis huius criminis impietatem ita prosequitur.

*Regia res scelus est. Socero cape regna necato,
Et nostras patrio sanguine tinge manus.
Talibus instructus solio privatus in alto
Sederat, attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor, & cades, infirmàque vincitur atas,
Sceptra gener socero rapta superbus habet.*

Ipsè

(14) Livius, lib. 12.
Valer. lib. 9. cap. 11.
Dionys. li. 4. Sabelic.
exempl. lib. 2. c. 9. in
fine. Alex. lib. 2. ge-
nial. cap. 6.

(15) Valer. ubi sup

(16) Sen. in Osta-
via, actu 1.

(17) Ovid. Naso. 6.
Faltor.

*Ipsē sub Exquilij, vbi erat sua regia, casus,
Concidit in dura sanguinolentus humo.*

Filia carpent patrios initura penates,

Ibat per medias alta feròxque vias.

Corpus vt aspexit, lacrymis auriga profusus

Restitit: hunc tali corripit illa sono:

Vadis, an expectas precium pietatis amarum?

Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.

Certa fides facti est. dictus Sceleratus ab illa

Vicus: & aterna res ea pressa nota est.

Sed neque exemplo hoc supremum maleficium caruisse videtur, nam litterarū etiam monumentis proditum est, (18) Eucratidem Bactrianorum regem, virtute ac rebus præclare gestis nulli secundum, ingenti ab Indis victoria parta, triumphantem, & opimis spolijs refertum, se se in patriam, vt suis gratularetur, recipientem, filij insidijs, cui absens regni habenas dederat, exceptum, & miserè trucidatum fuisse: nec eo scelere contentum filium, pari ac Tullia audacia, per corpus patris vulneribus sauciati, currum agere, & insepultum cadaver abijcere non dubitasse. Vt sic vel ex his exemplis appareat, facilius posse summorū vitiorum, quam virtutum imitatore[m] reperiri, & non omnino (vt Franc. Patric. (19) ait) cōtempendam videri vocem illā, qua dicitur, *Nullum regnum sine domestica cade, aut parricidio esse solere.*

CAPVT SEXTVM.

Filiorum, qui apud varias gentes parentes occiderint, plurima exempla relatu non iniucunda. Bessi Pæoniensis parricidiū, eiusque vltio miraculosa. Filios non minus, quàm extraneos parentum vitæ insidiari. Accursij & aliorum hanc in rem testimonia in medium adducta. Nationes quasdam ex more patribus necem inferre, & alias eorum carnibus vesci, alias canibus tradere, alias è saxo deijcere. Sardonius risus vnde.



VERVNT & alij apud omnes gentes, nationesque, qui parricidium committere neutiquam veriti, & omnia divina, atque humana iura turbantes, passim

sim in antiquiorum, & recentiorum auctorum commentarijs, non sine execratione commemorantur. In quibus ego referendis, non est cur longiorem orationem nunc facere velim, cum me aliorum (1) diligentia hoc labore levaverit, & singulis propè nostræ huius tractationis paginis, rerum dicendarum ordine requirente, frequens multorum mentio facienda sit. Sed subijciam nihilominus aliqua parricidarum quorundam exempla, quæ vel alijs minus cognita, vel lectoribus minùs ingrata futura fore censuerim. Et ut ab Hecate initium dicendi faciam; ea, sanguinaria quædam, ut Diodor. Cælius, & alij (2) enarrant, scœmia fuit, quæ prima, quo Persam patrem occideret, aconitum invenit. Ptholomæum etiam, scribit Polybius, (3) ex facinoris crimine, quod patrem vita exuisset, Philopator cognominatum. Sed & Ardicum Pamphylia tyrannum, annis iam fessum parentem, & insuper natu maiorem fratrem vita privasse, locupletissimus auctor est Plato. (4) Artaxerxis item filios de interficiendo patre conspirasse: & Antipatrum matrem suam Thessalonicem per materna vbera vitam deprecantem occidisse, Balduinus (5) noster ex alijs recenset. Neronis quòque cum alia, tum verò Agrippinæ matris præcipuo loco à Xiphilino (6) parricidium commemoratur, quam cum primum occidere dolis tentaret, & impostam navi submergere: re non succedente, Aniceto occidit iussit, causatus eam sibi insidiatam fuisse, & quòd eius opera multa facinora perpetrasset. Sed nèque minùs impium Nicomedis scelus esse videtur, qui, ut Iustinus, & Fulgofus (7) referunt, indulgentissimum patrem Prusiam Bithyniæ regem, à quo regni gubernacula vivo adhuc acceperat, immanissimè trucidavit. Phraatis etiam, Horodis Parthorum regis filij, detestandum facinus præteriri non potest, qui parentem cum triginta filijs, quamquam ab ipso regni successor designatus, occidit, gravitèrque pauci temporis moram in vicino iam morti patre ferens, cum venenum parùm proficere videretur, brevissimam interficiendi viam aggressus, propria manu illum præcluso spiritu (ut post Plutarc. Fulgofus (8) retulit) suffocavit. Dionysium quòque,

(1) Theat. hum. vi
tæ, vol. 39. li. 2. pag.
mihi 3517. *Ravif.*
Textor in officina.
Baptista Fulg. lib. 9.
cap. 11.

(2) *Diod.* lib. 2. bi-
bliot. *Cæli Rhod* lib.
11. c. 21. *Comast.*
misc. cap. 5.

(3) *Polyb.* & ex eo
Fulgof. lib. 9. c. 9.

(4) *Plat.* lib. 10. de
Republ.

(5) *Balduin.* in §
alia deinde, inst. de
pub. jud.

(6) *Xiphil.* ex *Dio.*
in Nerone latè *Tac.*
itus lib. 14. ann. &
Philostr. in vita *A-*
pollon. li. 4. cap. 12.
ad fin. verb. in Ner.
elegantèr invehi-
tur.

(7) *Iustinus* pagina
290. *Fulgof.* lib. 9. c. 8.

(8) *Plut.* in *Ant.*
Fulgof. lib. 9. cap. 11.

matrem per venenum necasse, & Leptinem fratrem, cum in navali praelio servare posset, interfici passum fuisse, narrat *Ælianus*. (9) Sed & vindicat sibi in hac parricidarum tragœdia non ultimum locum, *Caij Toranij* atrocitas, qui licet ei non ademerit vitam, qui sibi vivendi causas suggessit, dedit tamen operam, ut patrius aliorum manibus sanguis effunderetur. Namque *Trium-virû* partes sequutus, proscripti patris sui pretorij & ornati viri, latebras, artem, notâsque corporis, quibus agnosci posset, Centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. In quo tamen factu, quod *Valerius* (10) adijcit, silentio involui non potest. Senem nempe de filij magis vita, & incrementis, quam de sua sollicitum, an incolumis esset? & an Imperatoribus satisfaceret? interrogare Centuriones cœpisse. E quibus vnus: Ab illo inquit, quem tantopere diligis demonstratus, occideris: protinusque pectus, eius gladio traiecit; collapsusque est senex infelix, auctore cædis, quam ipsa cæde miserior. Idem penè de *Villio Annali* ab eodem *Valer.* (11) narratur, qui cum proscriptus ad clientem suum confugisset, sceleratus filius, per ipsa vestigia patris militibus ductis, occidendum eum in conspectu suo obiecit, bis parricida, consilio prius, iterum spectaculo. *Telegonus* etiam, ut *Dictys Cretensis* (12) recenset, *Vlysses* Patrem qui, somniorum diritate conterritus latitabat, hastili confodit. Vnde *Horatius* (13) eum parricidam appellat, quamvis *Homeri* interpretes, ut *Lambinus* (14) testatur, hoc à recentioribus poetis confictum fuisse arbitretur. Ego verò, & si certum id fuerit, non tamen censeo inter impios *Telegonum* omnino connumerandum, cum in *Ithacam* patris amore ductus, veniens, inscius & imprudens hoc facinus perpetraverit, luctuque, & mœrore maximo, patris morte comperta fuerit affectus. Nec absimili ratione, excusari quòque posse *Alcmeonis* & *Orestis* parricidium existimo, quorum ille, *Eriphilem* matrem, quòd *Amphiarum* patrem *Pollinici* prodidisset: hic *Clytemnestram*, in *Agamemnonis* patris ab ea interfecti vindictam occidit. Verùm de his, & alijs similibus casibus, peculiaris alio loco nobis habendus est sermo.

(9) *Ælian.* lib. 14
de var. histor.

(10) *Valer.* lib. 9. c.
11. *Apian.* bello-
rum civil. lib. 4.

(11) *Valer.* cod. Io-
co.

(12) *Dict.* de ex-
cid. Troia lib. fin.
in fin.

(13) *Horat.* 3. carm.
Od. 29.

(14) *Lamb.* ad *Hor.*
supra.

mo. (15) Nunc Bessi Pæoniensis parricidium, & miraculo-
sam eius vltionem superioribus subnectemus. Hic enim, vt
ex Plutarcho Petr. Ærodius (16) scribit, cum patrem inter-
fecisset, crimen diu fuerat obscurum. Tandem inter coenand-
um, multis vnâ epulantibus, cum supervolitassent hirun-
dines, atque ei præcipuè obstreperent, exilijt mensa, bacu-
lòque deturbans nidum, pullos in terram proiectos, ac si fu-
rore corripere, pedibus iterum, iterumque proculcat.
Cumque, qui aderant, cur id tam inhumaniter? postularent,
respondit: Iam diu in se eas falsum testimonium dicere, gar-
rire, & personare se parentem occidisse. Quibus verbis ad
Principem delatis, reque omni diligentius discussa, Bessus
parricidij damnatus, meritas pœnas rependit, hirundinibus
eum, non secus ac Grues Ibyci poetæ occissores, prodenti-
bus, de quibus Ausonius: (17) *Ibycus vt perijt, vindex
fuit alirivolans Crus.* Verùm quid singulos parricidas re-
censeo? aut quid frustra horreni huius criminis reos in
compendium redigere conor? cum adeò homines (heu do-
lor!) humanitatem exuerint, vt non vrbs vlla, non do-
mus, his naturæ monstris vacare videatur. Iam in ipsum
pietatis asylum ferox erumpit audacia: iam præmaturo vo-
to hæreditatis occupandæ, omnium malorum radix avari-
tia, in patris fata filium impellit. Vnde rectè Ovidius (18)
dicere potuit

Filius ante diem patrios inquit in annos.

Nec minùs rectè Iustinianus (19) filium meritò exhereda-
tum videri, si parentibus suis manus intulerit: si gravem & in-
honestam iniuriam eis ingesserit: si eos in criminalibus causis
accusaverit: vel eorum vitæ per venenum, aut alio modo insi-
diari tentaverit; & alibi, (20) ideò Macedoniano Sena-
tusconsulto prohibitum fuisse, mutuas pecunias eis dari, qui
in potestate parentum essent, quia saepe onerati ære alieno
creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitæ
parentum insidiabantur. Ex quibus eleganter vt pleràque
alia, deduxit Accurs. (21) communiter ab alijs receptus, non
magis à filijs, quàm ab extraneis, pactum super patris viven-
tis hæreditate inutiliter fieri, cum captandæ paternæ mortis

(15) Infra lib. 27
cap. antepenult.

(16) Plut. de fera
numin. vind. Petr.
Ærod. lib. 4. rerum
iud. tit. 11. cap. 8.

(17) Auson. in Mo-
nosyllab.

(18) Ovid. 1. mē-
ram.

(19) Iustin. in auth.
vt cum, de appell.
cog. §. causas.

(20) In §. penult.
inst. quod cum eo.

(21) Accurs. in l. fin.
verb. alienæ, C. de
pact. quem ibi Ias.
Alex. Dec. Purpur &
alij sequuntur, &
Menchaca in l. liber.
num. 5. C. de inoff.
Tiber. Dec. lib. 9. cri-
min. c. 9. num. 13.

(22) d.l.fin. (22)

timor (quæ fuit pacti improbandi ratio) (22) in filijs non minus, quam in cæteris adsit. Quod elegantissimè etiam ostendit Terentius, (23) sic inquit:

(23) Terent. in Adelph.

Porrò autem dum studeo, illis ut quamplurimum

Facere, contrivi in quærendo viam, atque ætatem meam:

Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero, odium:

Meam autem mortem expectant.

Faciam igitur huic capiti finè, si prius illud pro coronide, quod superioribus admodum convenit, animadverterim, quarumdam gentium, celeberrimum, & multis retro sæculis observatum morem viguisse, ut senio iam confectos parentes, filij perimerent, & quod belluinam supergreditur feritatem, eorum item carnibus vescerentur. Quod de Indis & Massagetis historiæ pater Herodotus, Strabo, & alij

(24) Herod. lib. 3. Strab. lib. 2. Geog. Cal. lib. 11 cap. 18. Pet Greg. li 36. Syn-tag. c. 24. n. 29.

(25) Cal Rhod. lib. 11. lect. anti cap. 21

(26) Cal. sup. Alex. ab Alex. 3. gen. c. 2.

Corr. 1. mis. c. 5. Balduin. in § alia deinde, qui alios referunt, Tiber. Decian. lib. 9. crim. cap. 15. num. 32.

(27) Æliano. de var. hist. lib. 4.

(28) Erasmi. Chil. 3. Cent. 7. adag. 1.

(29) Bapt. Pius annotament. cap. 6.

(24) recensent: & de Caspijs, qui parentes ubi septuagesimum annum excessissent, domi inclusos, fame necare consueverunt, Cælius Rhodiginus (25) testatur. Sed & Bactrianorum hac in re crudelitas omnem fidem superare videtur, nisi multorum auctorum (26) adseveratione confirmaretur, qui iam senio confectos parentes, vivos canibus apponebant, ad hoc ipsum de industria enutritis, quos ea ratione sepulchrales vocabant. Quin, & Sardis lex erat, si qua Æliano (27) fides adhibenda est, ut filij, patres iam senectute graves sustibus cæderent, & interemptos sepelirent: absurdum esse arbitantes, si delirus senex ulterius in vivis ageret, in fraudemque & peccatum, corpus senectute grandæva maceratum impelleretur: ridebantque interim maxime pereuntes parentes, se feliciter & beatè mori existimantes, quòd liberorum impietate mortem oppeterent. Vnde, ut Erasmus, (28) & ex Timæo Baptista Pius (29) ad-

notarunt, *Sardonius risus* proverbij vice apud antiquos usurpari cœpit.

(*) (*)



CAPVT SEPTIMVM.

Parricidium qualiter fuerit ab Ægyptis, Hebrais, Græcis, Persis, Macedonibus, Lusitanis, & alijs gentibus vindicatum? Romanos non parricidium modo, sed & verberatum à filio patrem graviter vindicasse. Servi Tullij lex in hanc rem alata, & diligenter exposita. Quid sit plorare? quid quiritare? quid inbilare? Sacer homo quis? Qua sacrata leges? Sacer homo cur impunè à quolibet occidi posset? ex Macrob. Pulsati parentis pœna. Virgilij, Ulpian. & Seneca de hoc delicto sententia.



PGITVR mortalibus, in hoc (vt in reliqua alia) parricidij crimen frequentissimè prorumpentibus, in tanta huius sceleris vbertate, prudentissimè singulæ fermè gentes, singulares tanto maleficio pœnas excogitauerunt. Nam etsi Plato (1) caput Hydrae amputare eos dicat, vt est in proverbio, qui singulis delictis, singulis legibus conantur occurrere: tamen, vt non minus rectè Arcesilaus (2) dixisse memoratur, quemadmodum ibi multi sunt medici, vbi multi sunt morbi, ita vbi plurimum vitiorum esset, permultas quoque leges esse oportebat. Et vt alia maleficia, vel nō puniri, vel remissius coerceri potuissent: hoc tamen, de quo loquimur, novum in se & atrox, novis quòque & atrocibus, severisque supplicijs omninò vindicari debuit. Nam vt præclare Tullius (3) inquit: *Parentes charissimos habere debemus, quòd ab his vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est, quæ omnia in illorum violatione violantur.* Inde ei, qui parentem occiderit, naturæ legibus vivere non licere, Iulius Capitolinus (4) testatur; & Quintilianus, (5) maximum omnium scelus, parricidium vocat, & cum in huius criminis cruciatum omnia commentata antiquitas fuerit, ceterior tamen (ait) est pœna quàm scelus. Apud Ægyptios ergo, patris, matrisve interfectorem (vt ex Diodoro Siculo (6) alij recensent) adeò gravi animadversione coercerant, vt eum per singula membra acutissi-

(1) Plato, quem refert Conanus lib. 1. comm cap. 10.

(2) Arcesil. relatus ab Erasmo. in Apophtegma. in Arcesil.

(3) Tullius in orat. post redit. ad Senat.

(4) Iul. Capitol. in Antoni

(5) Quintil. in declam. 4.

(6) Diod. Sic. li. 2. c. 3. Alex. 2. gen. c. 5. Covarr. sup. Plaz. a. in epitom. delict. c. 2. nu. 1. Isann Bohem. de morib. om. gen. lib. 1. cap. 5.

(7) *Alex. supr.*(8) *Strab. li. 2. Geog. Bohem. sup. li. 3. c. 24*(9) *Deuter. cap. 21*(10) *Plat. 9. de legib.*(11) *Eurip. in prooemio Orestis.*(12) *Harmenop. li. 9. Epitom. tit. 6. in fine.*(13) *Lege Vvisig. li. 6. tit. 5. l. 17. & 18*(14) *Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. parric. num. 5.*(15) *Horat. Epod. 3.*

mis calamis impeterent, mox minutissimis ictibus confauciatum, super spinarum acervum comburerent. Macedones, Alex. (7) teste, parricidas, & Maieitati reos, quin & eos quoque, qui illos quovis gradu contigissent, saxis obruebant; quod & Lusitanis moris fuisse Strabo, (8) & Bohemus testantur. Neque aliter Mosaica lege apud Hebræos hoc crimen vindicari inde colligitur, quod in Deuteronomio, (9) filius contumax, & protervus lapidari iubetur. Sed & divinus Plato, (10) non passus tantum maleficio inultum relinqui, prudentissime statuit, magistratum iussu ab eorum ministris parricidam occidendum, trahique debere nudum in statutum trivium, ubi vniverfi magistratus in caput mortui lapidem mitteret, & ita civitatem omnem purificarent, ac deinde ultra regionem exportatum corpus projicerent. Græcis quoque eandem lapidationis pœnam in usu fuisse, non obscure constare poterit ex Electra, sic apud Euripidem (11) verba faciente

Argivis autem edictum est, nec nos tecto recipi,

Nèque ignis usu invari, nec quemquam nos alloqui fas sit

Ut parricidas: hæc autem præfinita dies est,

In qua sententiam feret, ac decernet Argivorum vrbs:

An nos lapidibus obrucos perire

Oporteat: an ve gladio iugulum ferire?

Constantin. Harmenopolus (12) legem ita conceptam reliquit: *Qui ascendentem, aut descendentem, propinquumvè interemit, igni traditor.* In Vvisigothorum (13) etiam legibus, ultimam huic sceleri animadversionem, omniumque bonorum amissionem infligendam esse, docemur. Et apud Mediolanenses municipalibus statutis ea, teste Iulio Claro, (14) imponitur pœna, ut parricidæ, ad equi caudam adstricti, & alligati, per urbem trahantur, moxque rotæ lignæ intexti, miserabiliter secati dispereant. Horatius (15) cum alium vehementer propter illatum ei damnum detestaretur, iudicaretque cicuta minus ac lentius corpus cruciari, tantum venenum in parricidij criminis pœnam usurpandum fuisse, his verbis demonstrat.

Parentis olim, si quis impia manu

Senile guttur fregerit:

Edit cicutis alium nocentius, &c.

& alibi, (16) cum in arborem excandesceret, cuius casu ictus fuerat, illam ab eo plantatam fuisse ait, qui patrem interfecisset.

(16) *Horat. lib. 2. Od. 13.*

Illum & parentis crediderim sui fregisse cervicem, &c.

Julius verò Cæsar, ut Sueton. (17) tradit, parricidas severissimis supplicijs affectos, bonorum etiam omnium damno mulctabat. quod, ut Iustus Lipsius (18) ostendit, olim non nisi in atrocissimis criminibus fieri solebat. Quò fit, ut non abs re inter exempla summæ indulgentiæ Antonini Pij, illud Capitolinus (19) constituat, quòd parricidam in insulam desertam dumtaxat remiserit, quia ei naturæ legibus vivere non licebat. Theodorici Regis Gothorù filia, à Theodato Rege Thuscix, quòd matrem, sacrum Domini corpus sumentem, veneno interemisset; incenso fortiter balneo, eius vaporibus suffocata est, ut Petrus Gregor. (20) testatur.

(17) *Sueton. in Cæsar. cap. 24.*

(18) *Iust. Lips. lib. 6. Annal. Tacit.*

(19) *Capitolinus in Antonino Pio.*

(20) *Petr. Greg. li. 36. c. 24. num. 18.*

Sed & curiam Parlamenti Gallici Tarquetium maiorem, qui parentem suum Pictaviensem electum occidi curaverat, discerpi primum candente forfice, deinde artus ad rotam adfringi voluisse, ac postremò concremari, ex Theatro (21) cognovimus. Romanis, maiorum more, nova quædam & singularis (ut statim trademus) pœna in usu fuit: apud quos, iam inde à primis vrbis cunabulis, illatæ parentibus à filiis iniuriæ, ex Servij Tullij legibus severissimè quòque vindicabantur. Inter quas, ut refert Festus Pompeius, (22) quædam erat ita concepta: *Si parentem puer verberit, ast olle plorassit parentes, puer Divis parentum sacer esto*: qua in lege, ut & hoc obiter animadvertamus, *Plorassit parentes*, ut idem Festus exponit, idem est quod *clamarit*. Solebat enim (ut rectè Jacobus Rævardus (23) admonuit) is cui vis aliqua fiebat, siquidem ruri ageret, iubilare: sin verò in Romana civitate, & civis esset, proquiritare, id est aliorum civium auxilium exposcere. Vnde illud Terentij: (24) *Obsecro populares, ferte misero, atque innocenti auxilium, subvenite inopi*. In quem locum Donatus, *Et hoc est*, inquit, *quod veteres quiritare dicebant, quiritare coclamare*. Quod & M. Varro (25) his

(21) *Theatrù humanæ vitæ, vol. 19. lib. 2. pag. 35 17.*

(22) *Fest. lib. 14. de verb. sig. in plorare.*

(23) *Rævard. ad II. xij. cap. 13. tradit alia Christ. Colerus parerg. cap. 13.*

(24) *Terent. in Adelph.*

(25) *M. Varr. lib. 5. de ling. latin.*

verbis explicuit: *Vicinàque horum quiritare, iubilare. Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans, implorat, ut quiritare urbanorum, sic iubilare rusticorum.* Quod verò in suprascripta lege filius patrem verberans Divis parentum sacer esse iubetur, cum sensum idem Festus (26) alio loco habere testatur, ut à quovis sine fraude posset occidi. *Homo enim, inquit, sacer is est, quem populus indicavit ob maleficium, neque fas est eum in molari, sed qui occidit, parricidij non damnatur, nam lege tribunicia prima cavetur: Si quis eum, qui eo plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit. Ex quo quivis homo malus, atque improbus, sacer appellari solet.* Qua eadem ratione leges sacratas dictas fuisse, idem Festus, (27) & Paulus advertunt, quibus sancitum erat, ut qui, quid adversus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset cum familia, pecuniàque. Quam sanctionem in legibus regijs, & in duodecim tabulis frequenter inveniri, doctissimus Barnab. Brisson. (28) pluribus probat. Quod si quis mirum existimaverit, quod cum cætera sacra violari nefas sit, hominem sacrum ius fuerit occidi; huius rei causam à Macrobio (29) accipere poterit, qui eam non ineleganter his verbis exposuit: *Veteres nullum animal sacrum in finibus suis esse patiebantur, sed abigebant ad fines Deorum, quibus sacrum esset: animas vero sacratorum hominum, quos Græci *ζωαυας* vocant, Dijs debitas existimabant. Quemadmodum igitur, quod sacrum ad Deos ipsos mitti non poterat, à se tamen dimittere non dubitant: sic animas, quas sacras in cælum mitti posse arbitrati sunt, viduatas corpore, quamprimum illò ire voluerunt. Regia igitur lege si pulsatus à filio parens, parentes conclamasset, parentum Divis filius sacrabatur, devovebaturque, & tamquam impius atque improbus homo à quolibet impunè interfici poterat. quæ lex à Virgilio (30) notata videtur, dum apud inferos graviter eos puniri docet, à quibus*

Pulsatusvè parens, aut fraus innexa clienti.

licet Romani ea perpetuò vñ non videantur, cum scribat Ulpianus: (31) *Si filius matrem, aut patrem, quos venerari oportet, contumelijs affecisset, aut impias manus eis intulisset, præfectum urbis delictum ad publicam pietatem pertinens, pro*

(26) Fest. lib. 17. in sacr.

(27) Di. lib. 17. in sacratae leges, & corpora Tribunorum, & Principum, hac etiam ratione sacrosancta dicta ostendit Jacob. Durant. Casel. li. 1. var. cap. 1.

(28) Brisson. lib. 2. de form. pag. 154.

(29) Macrobi. satur. lib. 3. cap. 7.

(30) Virg. 6. Aen.

(31) Ulpian in l. 1. de obsequijs parent. & pat. præst.

modo eius vindicasse. Et Seneca (32) legem esse dicat, ut eius, qui patrem pulsaverit, manus, præcidantur.

(32) Senec. lib. 9. cont. 4. quam Seneca I hodie observari posse, tradit Vvesemb. in parat. de parric. in fin. quamvis ego cum dumtaxat iterum in potestate, ut ingratum revocari, cautum inveniam in Lvnica, C. de ingrati. li.

CAPVT OCTAVVM.

Parricidij poena apud Romanos qua fuerit? Eam prius à Tarquinio in sacrilegum quemdam usurpatam. Parem videri parricidij, ac sacrilegij rationem. Quo primū tempore parricida culleo insui cœperint, & an id fuerit legibus, an moribus introductum? Valerij in hac re cum Livio, Modestino, & alijs auctoribus pugna. Ea qualiter ab Steph. Pighio, Cuziac. & Pet. Aërod. composita. Et Valerij emendatio tentata. Nostra tandem de tota controversia, sententia.



ED opportunè iam de singulari supplicio, quod Romanorum legibus parricidis irrogabatur, verba faciemus. Nam & in eo arcana quædam latet mysteria, Eleusinis sacris reconditiora, quæ nos, non absque aliqua lectoris voluptate, & utilitate aperire conabimur: & Romanos, ut Cicero (1) ait, non modò armis plusquam cæteras nationes, verum etiam consilio, sapientiaque potuisse, præstitisseque ijs, qui apud cæteros sapientissimi fuisse dicuntur, cum ex hac re vel maximè demonstrabimus. Illi igitur infandi huius criminis reos, ut dissertè Tullius, Modestini. Iulius Paul. Constant. (2) & alij passim auctores enarrant, virgis cæsos sanguineis, cum cane, gallo gallinæ, simia, & vipera, culleo insui, atque ita in mare, vel in proximum amnem deturbari voluerunt. Cuius poenæ expositionem antequam ex ordine aggrediar, si de ipsius origine, & progressu nonnulla tractavero, non omnino oleum me & operam perdidisse censebo. Et sanè Valer. Maxim. (3) hoc supplicij genus in Marcum Tull. Duum-virum à Tarquinio Rege irrogatum, quòd librum secreta civilium sacerorum continentem, custodiae suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, non multò post parricidis lege assignatum fuisse, ait; quòd pari vindicta parentum, ac Deorum violatio expianda videretur. Est enim sacrilegium

(1) Cicero pro Roscio Amer.

(2) Tull. sup. & lib. 2. de inven. Modestini in l. poena ad leg. Pomp. de parricid. Paul. li. 5. sententiar. 24. Constant. in l. vn. C. de his qui parent. Iust. in §. alia deinde. inst. de public. iud. & alij multum, quos suis locis referemus. (3) Valer. li. 1. c. 1. idem refert Dion. li. 2. qui tamen, Attilium hunc Duumvirum vocat.

INUITI

D

par-